

nandis omnem suam insumpsit vitam. Sicut autem Baronius per XII. tantum secula Historiam Ecclesiasticam descripsit, ita Abrahamus Bzovius Polonus, Monachus ex ordine Prædicatorum, annales illos pertexuit. In Compendium contracti sunt annales ab Henrico Spondano Ecclesiæ Romanæ Protonotario & à Joh. Gabriele Prisciola Jesuita.

§. 10. Unum adhuc monendum de veteribus Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, quod antiquiores & doctiores præferendi sint reliquis: antiquissimus est Eusebius: idem & Theodoretus aliis sunt doctiores. Socrates autem, Sozomenus, Evagrius, eruditione multum illis cedunt.

§. 11. Quocunque autem sive breviori, seu prolixiori modo tractetur Historia Ecclesiastica, ad sequentia inprimis attendendum est. (1.) Ad Canonem Scripturæ S. Vet. & N. Testamenti, quem Ecclesia primitiva tradit. (2.) Ad Symbola Ecclesiæ. (3.) Ad Concilia, eorumque confessiones & Canones. (4.) Ad hæreses exortas. (5.) Ad Scriptores Ecclesiasticos, eorumque ætatem & scripta. (6.) Ad ritus & mores veteris Ecclesiæ. (7.) Ad Imperatores Romanos & præcipuos in Ecclesia Episcopos.

CAP. VI.

*De futuri ecclesiæ ministri studio
in scriptis Lutheri & veterum Ecclesiæ
Patrum.*

§. 1.



Sicut Ministro Ecclesiæ inprimis curiæ cordique esse debet lectio Scripturæ S. & quidem per totam vitam, ita inprimis certum tempus lectioni Scriptorum B. Lutheri, si non ante, tamen in

in